

G. 16. num. 13. 18.

1726 15 9

10
DANIEL FRID. HOHEISEL D.
EDICTUM PRÆTORIUM:

QUOD QUISQUE JURIS IN ALTERUM &c.

ÆQUITATE OMNIQUE
USU APUD VETERES

CARUISSE,
DENUO DEMONSTRAT,

AC

LECTIONES SUAS ÆSTIVAS
STUDIOSÆ JUVENTUTI
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
NOTAS FACIT.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
STANNO GRUNERTIANO MDCCXXVI.



DANIEL T. R. D. HONESTER D.
EDITIONES TRACTORUM:
ADDITIONES ET CORRIGENDA
ADDITIONE OMNIQUE
US APOD. VETERRIS
OCCIDUS PAMONSTRATIS
HODOMINE EBBE ESTHES
STUDIOSAE HUARINTUTI
IN ACADEMIA TERRITORIUM
NOTATIVIS
HABITAT MAGDEBVRGICIS
GRONINGENSIS MEDICOZ
URBIS



§. I.



Uodsi ulli eruditorum generi circumforaneæ tribuuntur artes; minime omnium, qui vitam academicam profitentur, ab hac imputatione vivunt immunes. Vitio vertitur illis, atque inventa inter circumforanea numeratur, quod submissione ridicula, munieribus, laudibus, conviviisque corrumptum nonnullos, qui conserta hominum agmina pererrant, se cacosmente; in sanioribus doctrinis percipiendis surdos; in miscendis eruditis sermonibus magis mutos quam pisces; in ratiocinatione claudos ac hallucinantes; nihilominus tamen vano inflatos fastu asciticorum instar fuisse: ast saluberrimis Doctoris sui medicaminibus frequenter assuntis, sanitate gaudere coepisse, perfectissima contendunt; quod vendendo merces suas pretii imminutio certant invicem; quod fasciculo medicamentorum suorum alius hanc, alius illam medicinam gratia adjicit: quod supercilios, incessu, habitu, indicia singulariis cuiusdam hominis pra se ferre, atque ita oculos omnium in se convertere laborant; quod sermonibus theatro dignis aetibusque scenicis spectatores allicere bilares plaudentesque gestiunt, denique quod alter alterius doctrinas noxias, veneno infectas, ac vera mentis medicina destitutas clamitat.

A. 2

§. II.

§. II.

Quisquis novit, ipsum me vitæ academicæ hactenus unice addictum esse, uti intelliget omnis, hancce qui perlustrare schedulam tanti putaverit; ei certe in mentem venire nullo modo poterit, pravis ejusmodi malevolentorum hominum satyris album a me adjici calculum: qui potius fortem hanc eruditorum miseram doleo summopere & fere deploro, idque eo magis, quod ab ultima paragraphi precedentis accusatione tum ego, tum Amicus quidam meus, impensisimo affeetu prosequendus, vix liberi simus futuri, si quis meum *de editi prætorii: Quod quicunque juris in alterum &c. iniquitate & non-usu tam antiquo, quam hodierno, programma, mense Octobri anni 1724. publice propositum, viderit; deinde aliud de Retorsione jurium statutariorum variantium nec æqua nec prudente, quod per modum supplementi ad proxime indicatum mense Februario 1725. accessit, perlegerit; nunc vero alius Amici optumi atque æstumissimi scriptum, fœnum in cornu habens, h. e. in ipso rubro a me divortium faciens; & denique præsens hoc programma, quo iniquitas & non-usus antiquus ejusdem editi prætorii denuo stabilitur, conspexerit.*

§. III.

Nihilominus tamen spondeo atque in me recipio, amicum hunc esse dissensum, qui inter nos ortus est, aut potius primo intuitu obortus videtur, mihi enim saltem quædam ab Amicissimo Homine occasio suppeditata est, unum alterumve dubium, quod circa citatas scriptiones meas moveri posset, modeste diluendi: ut adeo si quis cum circumforaneis nos componere vellat, iis posset accensere, qui probegnari, ab uno non emere omnes, clanulum societate aliqua inter se contracta, in speciem se invicem contemnunt, ut confluentes ad mercatum emtuentes eo majori alterum pariter videndi cupiditate incendantur. Sed præstat penitus a comparationibus hisce abstinere, nam ego æque ac Adversarius meus dudum nobis

nobis elegimus symbolum illud Senecæ: *relinquantur istæ voces us arribus, quæ propositum habent placere populo,*
PHILOSOPHIA adoretur.

§. IV.

In primo autem programmate meo egi I.) de edicti hujus prætorii origine, (§. 10. & 11.) II.) contenta ejus explicavi, §. 11. & 12. III.) iniquitatem ejus demonstravi §. 13-17. IV.) non-usum antiquum evidenter ostendi, §. 15. V.) provocavi quemvis, ut mihi vel exCorporē Juris, vel ex probato scriptore quodam antiquo casum adduceret, ex edicto isto decisum, §. 18. imo VI.) absurditatem hujus edicti ab ipso populo Romano agnitam, & C. Cornelio Tribuno plebis rogante, plebiscitum conditum esse, eoque facto, omnem hujus edicti vim elisam fuisse, docui §. 19. deinde VII.) adversus SCHÖPFERVM defendi, jus repressaliarum, ut vocant, minime ex hoc edicto deducendum esse, ibidemque aliud ejus fundamentum indicavi; denique etiam VIII.) retorsionis jurium provincialium variantium, ab omnibus fere JCtis ex hoc edicto derivatae, vera ac genuina principia ex regulis prudentiæ ac Politices primus repetitii §. 21. seqq. His ita positis, in altero programmate IX.) evidentissime demonstravi, illas demum retorsiones jurium statutariorum & provincialium ab invicem diversorum *æquas esse & prudentes, que directo in odium & detrimentum peregrinorum sunt condita; reliquorum autem retorsionem inquam esse ac minus prudentem.*

§. V.

Ultimum hoc momentum maxima præ reliquis omnibus utilitate se commendat, ferendisque sententiis in judicio inservit, a nemine autem ante me excussum est. Ipse etiam Amicissimus Dn. Adversarius meus hac in parte rem acu metetigisse, mihi blanditur, usque adeo ut nihil sibi in promptu esse dicat, quod huic doctrinæ superaddere possit: apertissimo indicio, ipsum non ferio a me dissentire, sed saltē eum in finem ut verecundiam meam laudibus onerare posset, dissensum simulare. Quodsi

enim placuisset ipsi, ex penu facundiæ atque e cornu copie excerptorum suorum nonnulla deprompta doctrinis meis adjicere, multis adhuc flosculis oratoriis, allegatis LL. & Doctorum, aut adductione præjudicatorum, e praxi sua collectorum, exornare atque augere potuisset. Quin imo statim post editum programma meum in illustri quodam judicio ventilatae sunt *duæ lites de eodem casu*, quem in programmate altero §. 8. proposui, utraque autem hunc in modum decisa fuit; *ut remota retorsione, peregrinus subditus eodem cum ciuib⁹ domesticis jure uteretur: ex quo evidentissime eluet, doctrinam meam in ipsis rerum argumentis obtainere.*

§. VI.

Nihilominus tamen adversus momentum I. & II. (vid. §. 4.) error in eo mili imputatus est, quod dixerim: *Prætores per edicta sua, juris civilis explicationem simulantes, supplex illud atque emendasse; consequenter jus LL. ferendarum per cuniculos ad se pertraxisse.* Concedit Dn. Adversarius meus omnes præmissas; & tamen (quod mirum) negat conclusionem, *Prætores nempe jure LL. ferendarum usos esse;* idque ideo, quod Cicero Lib. 2. de Invent. Cap. 22. expressis verbis scribit: *consuetudinis autem jus esse putatur, id quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobarit.* In ea autem iuria sunt quædam ipsa jam certa propter vetustatem: *quo in genere & alia sunt multa, & eorum multo maxima pars, que Prætores edicere consueverunt.* Nisi vehementer fallor, Cicero id tantummodo sibi vult, quod consuetudo quidem a lege differat, deinde autem *vim legis nancisci, & certum jus fieri queat, si vel constanti & diuino usi judiciali, vel expresso Prætoris edicto confirmetur, & maxima quidem edictorum præteriorum parte ejusmodi consuetudines contineri.* An autem id doctrinam meam evertit, aut ei contrariatur? Sed ne andabatarum more pugnemus, necesse est, ut de conceptu legis ante omnia inter nos conveniat. In sensu Juris N. *Lex est declaratio voluntatis Imperantis civilis, omnium subditorum actiones*

actiones quoad certum aliquod negotium dirigens ad communem salutem. Jam vero Prætores multas summi imperii partes (in republica irregulari) exercebant, ita ut & imperium & maiestas imperii aliquoties in Jure Civ. disertis verbis iisdem tribuatur; porro notum est iis, qui nihil aliud sciunt, multa a Prætoribus promulgata fuisse edicta, quæ omnia *juris auctoritatem* obtinebant, h. e. vim legis habebant, uti vel tirones, qui nondum dupondii sunt, cognitum habent ex §. 7. *J. de J. Nat. Gent. & Civ.* adeoque erant *ipissime leges in sensu J. N.* Olim autem in statu Romanorum populari & Democratico jus LL. ferdarum *penes populum* erat, que sensu lex dicitur, *quam populus Romanus, Senatorio Magistratu, veluti Consule, interrogante constituit* (a) §. 4. *Infl. eod.* Hoc autem sensu resiliens negatur, edicta Prætorum proprie *leges* fuisse, nempe *a populo latas*. Sed ubinam ego defendi contrarium?

§. VII.

Pergo ad alterum dubium, Pro-Consules nempe Præsidesque Provinciarum non fuisse magistratus. Nimirum in programmate primo §. 9. fatis aperte monui; verbis edicti: *qui magistratum habent*, intelligi Prætores urbanos atque Ædiles Curules; verba sequentia vero: *qui potestatem habent*, Pro-Consules, Præsidesque provinciarum indigitare. Mox ex principiis J. N. ostendi, omnes hosce jure novarum LL. condendarum carere debuisse; erant enim *magistratus*; *magistratus* autem (in genere & in sensu J. N.) est persona, summo Imperanti civili subjecta, atque ab eodem potestate hac vicaria instruenda, ut mediante sententia

(a) Revera tamen est hæc absurda definitio, quæ saltum externum LL. condendi ritum describit. Sed vero cum populus etiam eodem modo dispensare, bellum decernere, privilegia dare, præmia huic vel illi conferre debuerit; in ista definitione Lles, privilegia, actusque adversus exterios suscepit, confunduntur. Hoc sensu etiam historici scribunt; statuam alicui lege populi decretam fuisse; bellum lege populi placuisse: quæ quidem historicis virtus veri nequeunt; omnino autem ius, qui *Juris philosophiam* profidentur,

tentia ejusque executione leges ad facta civium in republica obvenientia applicet. Unde cum magistratus sit minister legum, ipsius non est, leges mutare, sed solummodo secundum LL. decidere. Hoc autem sensu tam *Praetores* atque *Aediles Curules*, quam *Pro-Consules & Praefides Magistratus* erant. At, inquis, *in sensu & secundum morem loquendi Juris Rom. proprie & per eminentiam Praetores* atque *Aediles Curules* vocantur *magistratus*; *Pro-Consules* vero *Praefides* que dicuntur saltem *gesisse magistratum*; sed hoc iterum nusquam negavi: adhuc tamen defendere possum, etiam *in sensu Juris Rom. Pro-Consules* aequa ac *Praefides* *magistratus* vocari, cum notissima sit distinctio, inter *magistratus urbanos & provinciales*. Coeterum edam propediem meditationem de eo, quomodo differat *magistratum vocari* & *magistratum gerere*; ubi simul intricatissima componetur controversia: utrum sella curulis, cui *Aediles* insidebant, tribus; an *quatuor gradibus* fuerit instructa? item num primus *Praetor Romanus* *nigros, rubrosne capillos* geserit? dummodo antea de utilitate harum controversiarum memet ipsum convicero.

§. VIII.

Ad tertium momentum (vid. §. 4.) quod attinet, *edictum hoc mirum in modum injustum atque iniquum fuisse*; iniquitatem istam potissimum ex eo deduxi, quod *magistratus*, *jus iniquum* *edicto* *sanciens*, & *civis* *tales* *jus* *per corruptionem* *adversus alterum* *impetrans*, *procul omnibus* *dubio delinquent*, aliumque *laudent*: jam vero *praesens* *edictum*, nec ad *damni dati* *reparationem* *magistratum* *civemque* *obstringit*, nec *paganum* *presentissiman* *in grave* *istud facinus*, ut *deterrentur* *alli*, *statuit*: ergo *saluti ac securitati* *laesorum* *minime* *prospicit*, adeoque *injustum* *est*. *Advertis* *hoc* *objecit* *Amicus meus*: *Praetorem* *etiam* *jus* *reddere*, *cum inique* *decernit*, *relatione* *facta* *non ad id*, *quod ita* *Praetor* *fecit*, *sed ad illud*, *quod Praetorem* *facere* *convenit*. Ita autem aliis tantummodo prolixisque verbis repetitur *eadem* illa assertio & propositio, quam ego impugnaveram, iniquitatis *eam* *accusans*. *Male enim iniqua Praetoris sententia*

sententia sustinetur; male qui lœsus est, injuriam devorare & ja-
cturam injustam perferre absque ulla reparacionis ppe cogitur. Erat
fane adversus judicem pedaneum male judicantem peculiaris
actio concessa, qua is item suam facere, h. e. sententiam a se la-
tam defendere, atque ubi in defensione succumberet, omne
damnum alteri datum reparare cogebatur, ita quidem, ut si per
imperitiam injuste judicaslet, ista *damni reparatio* sufficeret; sin
autem *doloſe* egisset, poena *infamia* adhuc præterea ipsi immine-
ret. (vid. pr. J. de Obl. quæ quasi ex delict. ibique commentato-
res.) Cur autem non prætori, iniquum jus promulganti, eadem
damni dati reparandi necessitas ac poena imponebatur? dicens,
quia majestas imperii ipsius id non permittebat; etiam, sed no-
tum est, ipsius officium *annuum* fuisse, cur non postquam magi-
stratus munere functus, ad privatorum numerum redierat, da-
batur actio? videmus certe Rectoribus Academiarum, *finito ma-*
gistratu, actiones intentari, ac rationem ab iis exigi *imperite &*
doloſe gestorum.

§. IX. Transeo ad momentum quartum §. 4. juxta quod
adserui, poenam in edicto statutam nunquam in praxi apud Ro-
manos obtinuisse; quod ut intelligi queat, observandum, fuisse
eam sequentem: Magistratus, qui *jus novum* atque *iniquum con-*
stituerat, itemque is, qui *jus hoc corruptione impetraverat*, a
damni dati *reparatione* erant in perpetuum & procul omni du-
bio *securi*: Interim tamen

- 1) si *forte aliquando* olim eandem item cum alio agitarent,
- 2) si ista lis in omnibus circumstantiis cum priori inique de-
cisa conspiraret,
- 3) si adverfarius decisionis olim factæ adhuc recordaretur,
eamque probare posset,
- 4) si urgeret, ut prætor, qui *jus* dixerat, vel *civis*, qui impe-
traverat, eodem jure uteretur, (b)
- 5) si *dolum* prætoris atque *impestantis* luculenter evinceret,
(*imperitiam enim probasse non sufficiebat*) denique

B

6) si

(b) Hæc limitatio absolute necessaria erat, alias enim prætor novum jus
condere potuſſer, ut secundum illud cum insigni *emolumento* ipſem
aliquando *judicaretur*.

6) si ipse adversarius, qui hoc urgebat, non pariter olim eandem faudem commisisset,
Si, inquam, astius volaret; vel potius, *si hęc omnia ita sese haberent*, tunc tandem Pr̄etor, & qui iniquum jus impertraverat, eodem iniquo jure ipsime uti cogebantur.

§. X. Non solum is, cui e meliore luto finxit pr̄cordia Titan, sed qui sensu communī saltēm pr̄dictus est, palpare poterit, nūnquam non uberrimam Pr̄etori ac nebuloni isti, qui jus iniquum impetrasset, in promptu fuisse materiam, p̄cenam hanc eludendi. Quis enim sufficenter atque evidentissime probabit, magistratum non per *imperitiam* sed *dolum* olim male judicasse? Deinde nonne vel sola exceptio: *minima atque unica circumstantia variat factum*, efficere poterat, ut nūnquam appareret, eundem casum in judicio ventilari, qui olim decisus erat? alia utrū nūn non recoquam, in programmate primo abunde adducta: Potius de-nuo dico, *plane non esse probabile*, unquam in praxi p̄cenam hujus edicti executioni fuisse datam. Imo si applicari potuisset; quid, si me amas, fuisset opus novo Senatusconsulto atque Plebiscito Pr̄etoribus omnem adimere potestatem, edicta specialia in progressu magistratus promulgandi, iisque injungere, ut ex edictis suis perpetuis, hoc est, sub initium magistratus sui semel propositis, jus dicerent? Isthoc quippe Senatusconsultum & Plebiscitum edicto Pr̄etoris: *quod quisque juris in alterum*, novius esse, non solum *admodum opinabile* est, sed a nemine, qui sensu communī pollet, in dubium vocabitur, cum per utrumque *omnis materia dolum* istum, qui sub comminatione p̄enae edicto prohibitus erat, commitendi, esset subtracta: jam vero absurdissimum fuisse, p̄enam irrogare delicto, quod *contingere non poterat*.

§. XI. Coeterum cum hęc quęstio: *utrum ullo unquam casu edictum hoc executioni fuerit mandatum*, non juris sit, sed facti, inde ego jure meo postulavi, ut si quis affirmativam sententiam tueri vellat, *unicum saltēm exemplum h. e.* unicū casum ex hoc edicto decisum, qui vere contigit, vel ex LL. Romanis, vel ex aliquo scriptore antiquo produceret.

§. XII. Tu dicas: imo vero Cicero scribit in Epist. I. ad Frātērem: *Qui in magistratibus injuriose decreverant, eodem, ipsis privatis, erat jure parendum*. His autem verbis Cicero nihil novi pro-

profert, sed ipsum saltem Prætoris edictum repetit atque enarrat, inde vero usus ejusdem practicus nondum elucet. Objicis; in L. 13. §. 3. ff. quod quisque *jur. in alt.* pariter casum aliquem fingit atque adducit Ulpianus; sed, obsecro te, an tu mihi persuadebis, casum vere contigisse, quem Ulpianus a se singi non dissimulat? clamas, posse & ipsum te sexcentos exegitare, fingere, abstractione mentis concipere & tandem decidere casus: sed quid inde? ergone casus isti apud Romanos contingunt, inque iis pœnæ edicto prætorio statutæ locus relatis fuit? tune fictiones tuas pro casibus, qui vere contingunt, venditabis? Novi nonneminem, qui singit casum matris, liberos aletis in sulsarium, h. e. ideo aletis, quia & liberi, & pater ipsorum ad suum inopiam atque egestatem sicut redacti; deinde vero proponere questionem; nonne mater, saltem quādū alit, in bonis ejusmodi liberorum habeat usumfructum, h. e. nonne percipere possit ordinarias utilitates ex bonis liberorum provenientes? Novi, hanc questionem affirmative ab eodem decidi, acriter invento in Carpzovium aliosque (quorum auctoritatem sibi ne pili quidem esse, & quos inter res fungibles secesserat profiteretur) quod illi simpliciter matri usumfructum in bonis liberorum denegaverint, omissa elegantissima hac limitatione nisi liberos, omnibus bonis desituros, mater alat. Quis autem exinde colliger viridem hujus decisionis observantiam in judicio esse? Certe si liberi stramine ac furture sustentati, tonderi instar ovium possent, tunc tandem hujus questionis ac decisionis aliqua posset esse utilitas. Quod ego eum saltem in finem adduce, ut intelligent omnes, a fictione, quam ingenium humanum in abstracto concipi, ad veram existentiam rei concepte, nullam valere consequentiam. Adde si placet *Tradatum meum de idem &c. Cap. I. §. 65. seqq.*

§. XIII. Cum itaque certum sit, editi hujus pœnam applicari non potuisse, exinde in suspicionem me adductum, in programmate primo indicavi, Prætem, qui edictum illud composuit, nequam seriam habuisse intentionem, vel propriis, vel collegarum suorum fraudibus q̄bicem ponendi, sed saltem specioso edicti rubro glaucum populo objecisse. Dicis, non esse hoc existimandum, cum eleganter Cicero scribat: *at quisque est vir optimus: ita difficilime esse viros improbos sufficiatur.* Non deficerent mithialia adagia, que possem regere, nisi philosophiam veterum reputarem, adagiis & sententis pugnare. Quid? quod ego non temere, sed urgentissimis motus rationibus, iniuritatem arque a statuam prætori isti imputaverim. Profecto, si Prætor, editi istius auctor, vir bonus fuit; id saltem certum est, sensu communii atque omni ratione cum caruisse, alias enim in delictum reipublicæ summopere noxiū, pœnam, effectu destitutam, minime statuisset: sed cum existimare nequeam, stupidissimos ejusmodi homines officiis summorum magistratum a Romanis fuisse admotos; id relinquitur, ut subdole egisse Prætorem suspicer.

§. XIV. Denique in programmate primo refutavi illos, qui edictum hoc adhuc hodie usum quendam babere existimat; (vid. num. VII. & VIII. §. 4.) adverfus quos nonnemo ita declamat: *Sed cui mens adeo leva, peccusque adeo abusum, qui non clarissime intelligat, nihil ineptius singi posse, quam badienum huic editio aliquem tribure nsum?* Quisquis hæc verba legit, mife-

rum me cum larvis pugnasse in programmate meo tam primo, quam altero existimatibus; sed salva res est, idem ille declinator mox subjicit: solent equidem vulgo retorsones exinde derivare: sed quam absurdar sit hac applicatio, incurrit in oculos. Scire autem vis, quinam sit illi, qui vulgo ita sentiunt? facilius est responso, omnes fere, qui pandectas ediderunt, praetera etiam B. Benedictus Carpzovius, vir vere magnus, eandem sequitur sententiam, quam etiam Illustrissimus quandam LEGISLATOR SAXONIÆ AUGUSTUS in Part. III. Conf. 38. hand obscure amplectitur: atque adeo hi homines, mente levæ & pedatore obtuso prædicti, imo fungi sunt, si Celeberrimo Dn. Adversario meo fidem habeas, qui tamen in eadem meditatione de seipso scriperat: Non ego ex eorum sum numero, qui sibi metu soli sapiunt, aliorumque meditata, alto contumulent supercilium, nec aliquid solidi, nisi ab ipsis posse vel dici, vel scribi, absone credunt. Nihil potius mibi magis cura fuit cordique, quam ut diuina nocturnaque manu verfarem doctorum virorum volumina, singulaque IN USUS MEOS CONVERTEREM. De veritate ultimorum verborum nemo dubitabit, qui cum scriptione Dni Adversarii mei CELEBERRIMI GERARDI NOONI Commentariorum ad Digesta Tit. Quod quisque juris in alter. conciliter. Addo etiam B. LUDOVICI compend. Pandect. Tit. de Lege Fabio DE PLAGIARIS, in FINE.

S. XV. Hæc pro defensione programmatum meorum adduxisse sufficiat. Celeberrimo Dn. Adversario meo, Amico æcumatisimo, gratias ago habeoque maximas, quod acutissimis dubiis suis, posteritati hanc exiguo usq[ue] futuris, efficere benebole voluerit, ut ego otiosus esse, & tamen aliquid agere, h. e. novum programma conscribere absque labore potuerim. Nihil amplius spereret, quam ut lectiones meas æstivas iadicem;

- 2) Hora VIII, ad IX. exponam PUFENDORFIUM de Offic. hom. & civ. una cum TITII observationibus; compendiosam Juriis Nat. historiam praemissurus.
- 2) Hora X, juncta hora II Pandectas docebo, duce ILLUSTRI DN. BÖHMERI.
- 3) Hora IV ad V ILLISTRIS DNI GUNDLINGHI Logicam, una cum Tractatu meo de Ideis, descriptionibus definit. & division. (qui apud Krebsium prostat) ita explicabo, ut futuro (si DEUS vitam concederit) semestri hiberno scholas Logico-Praticas Duis Auditoribus meis aperi queam.
- 4) Denique Horam V ad VI. (quam tamen plurimis votis vietus, cum alia commutabam) collegio (ut vocant) disputatorio destinavi, quatuor per septiduum vicibus, nempe diebus Lunæ, Martis, Jovis ac Veneris habendo.

Lectionum mearum DIE 29. HUJUS MENSIS fiet initium, excepto saltem collegio disputatorio, quod in DIEM 27 ejusdem mensis differetur. Fazit DEUS, ut omnia cedant felicitate. Scrib. in Academ. Fridericiana d. xi. Maii MDCCXXVI.

Halle, Diss., 1726 C-2

ULB Halle
004 306 988

3



f

56.



G. 16. num. 13. A. 8.
1726 15. 9

DANIEL FRID. HOHEISEL D.
EDICTUM PRÆTORIUM:
QUOD QUISQUE JURIS IN ALTERUM &c.
ÆQUITATE OMNIQUE
USU APUD VETERES
CARUISSE,
DENUO DEMONSTRAT,
AC
LECTIONES SUAS ÆSTIVAS
STUDIOSÆ JUVENTUTI
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
NOTAS FACIT.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
STANNO GRUNERTIANO MDCCXXVI.

